

betur circa differentiam accidentium aquæ, puta si sit salsa vel dulcis, calida vel frigida. Ergo in hoc sacramento aliqua discretio adhiberi non debet, utrum panis sit azymus, vel fermentatus.

Sed contra est, quod extra, de Celebratione missarum (in decret., lib. 3, tit. 44, cap. Litteras, et est ultimum illius tituli), punitur sacerdos, quod in pane fermentato et scypho ligneo Missarum solemniter celebrare præsumpsit.

Respondeo dicendum, quod circa materiam hujus sacramenti duo possunt considerari, scilicet, quid sit necessarium, et quid conveniens. Necessarium quidem est, ut sit panis triticeus sicut dictum est (art. præc.), sine quo non perficitur sacramentum. Non est autem de necessitate sacramenti, quod sit azymus, vel fermentatus, quia in utroque confici potest. Conveniens autem est, ut unusquisque servet ritum suæ Ecclesiæ in sacramenti celebratione. Super hoc autem sunt diversæ Ecclesiarum consuetudines. Dicit enim B. Gregorius in Regist.: Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commistione suscepit carnem, sed Græcæ Ecclesiæ offerunt fermentatum, pro eo, quod Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ. Unde, sicut peccaret presbyter in Ecclesia Latinorum, celebrans de pane fermentato, ita peccaret presbyter Græcus in Ecclesia Græcorum celebrans de pane azymo, quasi pervertens Ecclesiæ suæ ritum. Et tamen consuetudo de pane azymo celebrandi rationabilior est. Primo quidem propter institutionem Christi, qui hoc sacramentum instituit prima die azymorum (ut habetur Matt. 26, et Marc. 14, et Luc. 22), qua die nihil fermentatum in domibus Judæorum esse debebat, ut habetur Exod. 12. Secundo, quia panis est proprie sacramentum corporis Christi (quod sine corruptione conceptum est) magis, quam divinitatis ipsius, ut infra patebit (q. 76, art. 1). Tertio, quia hoc magis competit sinceritati fidelium, quæ requiritur ad usum hujus, secundum illud 1 Corinth. 5: Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis. Habet tamen hæc consuetudo Græcorum aliquam rationem, et propter significationem, quam tangit Gregorius (loco citat. in istomet articulo), et in detestationem hæresis Nazareorum, qui legalia Evangelio miscabant.

Ad 1 ergo dicendum, quod, sicut legitur Exod. 12, solemnitas paschalis incipiebat in vespera 14 lune, et tunc Christus post immo-

lationem agni paschalis hoc sacramentum instituit. Unde hæc dies à Joan. dicitur præcedere diem paschæ, et a tribus aliis Evangelistis dicitur prima dies azymorum, quando fermentatum in domibus Judæorum non inveniebatur, ut dictum est (in corp. artic.). Et de hoc supra notatum est plenius in tractatu Dominicæ Passionis (quæst. 46, art. 9, ad argum.).

Ad 2, dicendum, quod conficientes ex azymo non intendunt cæremonias legis servare, sed conformare se institutioni Christi. Et ideo non judaizant, alioquin et celebrantes in pane judaizarent, quia Judæi panes primitiarum fermentatos offerebant.

Ad 3, dicendum, quod fermentum significat charitatem propter aliquem effectum, quia scilicet panem facit sapidiorem et majorem, sed corruptionem significat ex ipsa ratione speciei.

Ad 4, dicendum, quod, quia fermentum habet aliquid corruptionis, et ex pane corruptio non potest confici hoc sacramentum, ut dictum est (art. 3 hujus quæst., ad 4 argum.), ideo magis attenditur circa panem differentia azymi et fermentati, quam circa aquam baptismi differentia calidi et frigidi. Posset enim tanta esse corruptio fermenti, quod ex eo non posset confici sacramentum.

#### COMMENTARIUS.

Quid panis azymus, quidve fermentatus sit, ex linguis græca et latina, et ex usu conficiendi panem supponendum est; solet enim quedam massæ portio fieri ex materia decocta, et, donec acescat, conservari, et hæc græce vocatur azyme, latine, fermentum; ex qua portione admista farinæ subactæ panis conficitur, qui latine fermentatus dicitur, græce Ζωπῆτος; quando ergo panis fit ex sola farina et aqua naturali absque admixtione fermenti, dicitur azymus, id est, infermentatus, seu sine fermento, quo interdum utebantur Hebræi juxta suæ legis ritus; de hoc ergo movetur præsens quæstio, ad quam D. Thomas multa respondet. Primum, non esse de necessitate sacramenti, ut panis sit hoc vel illo modo confectus, quia utroque modo panis est, et id sufficit. Secundum, in unaquaque Ecclesia servandum esse proprium ritum, atque ita in Ecclesia Græca fermentatum panem, in Latina vero azymum esse de necessitate præcepti. Tertium est, in utraque consuetudine posse rationes convenientiæ inveniri, plures tamen et majores in usu panis azymo

præsertim cum in illo Christus consecraverit. Cætera, quæ D. Thom. habet in solutionibus argumentorum, clara sunt; solum notandum est, quod in solut. ad 4 dicit, tantam esse posse fermenti corruptionem, ut ex eo non possit confici sacramentum; indiget enim declaratione, quam trademus disputatione sequenti.

#### DISPUTATIO XLIV.

DE MATERIA PANIS, SEU REMOTA, EX QUÀ CONFICITUR CORPUS CHRISTI.

Disputatio sexta de Eucharistia. — In superiori disputatione diximus necessarium esse panem ad conficiendum corpus Christi Domini; nunc superest, ut dicamus, cujus naturæ et qualitatis oporteat esse hunc panem, quæ res Theologis est difficilis, quia pendet ex physica cognitione seminum seu granorum, ex quibus panis confici potest, de qua re frumentaria breviter attingemus solum, quæ necessaria fuerint; deinde legi possunt Plin., lib. 18 Histor., cap. 6 et seq.; et Varro, lib. 4 de Re rustica, c. 48 et seq.; et Galenus, lib. de Elementorum facultatibus, c. de Tritico; et alii multi, qui de re rustica, vel de re cibaria scripserunt. Nonnihil vero attingit D. Isidor., lib. 47 Etymol., cap. 3.

#### SECTIO I.

Ex quo grano oporteat esse confectum panem, ut sit sufficiens materia hujus sacramenti.

1. Quibus ex rebus panis confici solet. — Ut veniamus ad punctum difficultatis, supponendum est, panem ex triplici genere rerum confici solere. Primo ex fructibus arborum, ut ex castaneis, ficibus, et amygdalis, etc., et apud Indos dicitur confici ex radicibus. Secundo ex leguminibus, ut ex fabis, etc., quæ in siliquis aut teguminibus, vel folliculis crassioribus nascuntur. Tertio ex granis, quæ generali appellatione frumenta dicuntur; quanquam enim frumenti vox per antonomasiam triticum significet, tamen generaliter comprehendit omnia semina, quæ falce metuntur, seu quæ habent culmum, et aristas, et grana sine siliquis.

2. Secundo supponendum est, panem factum ex fructibus vel leguminibus non esse materiam consecrationis, in quo conveniunt omnes Theologi, quia hic non est panis simpliciter, sed secundum quid; nomine enim

panis intelligunt homines communiter quoddam genus cibi, quod adhibetur, tanquam comes aliorum ciborum; et ideo dictum creditur vel a voce Græca πῶν, quod est, omne, quia est veluti generalis cibus, vel a pascendo, quia illo maxime pascuntur homine. Unde in Scriptura sacra solet hac voce omne alimentum hominis significari. At vero panes confecti ex leguminibus, vel fructibus, non habent hunc usum, ut aliis cibis comites adhibeantur, sed potius ipsi pane comeduntur; et ideo non sunt simpliciter panes, nec materia hujus sacramenti, eo vel maxime, quod ii non sunt in communi usu hominum, sed interdum fiunt, vel ex accidenti propter defectum, vel sola causa voluptatis et deliciarum.

3. In quo sit difficultas. — Prima opinio. — Tota ergo quæstio revocatur ad panem frumentaceum, an qualibet species ejus sufficiat, vel tantum aliqua ultima vel subalterna. Prima enim sententia affirmat totum hoc genus sufficere, sive panis triticeus sit, vel hordeaceus, vel similes. Ita docet Gabriel, lect. 35 in can., ubi refert Thomam de Argentina, dist. 41, quæst. 4, qui simpliciter affirmare non audet, negat tamen posse contrarium satis probari; idem Gabriel ibid., art. 7; idem tenuit Cajetanus hic, quanquam in Romana impressione pars illa Commentarii expuncta sit. Fundamentum est, quia si ad institutionem hujus sacramenti recurramus, solum legimus, Christum accepisse panem, et in illo confecisse; si ad Ecclesiæ traditionem, solum docet panem esse materiam, c. Firmiter, de Sum. Trin., c. Cum Marthæ, de Celebr. Miss., cap. 4, et seq. de Consecr., dist. 2; ergo non licet nobis hanc materiam restringere; sed panis ut sic abstrahit et indifferens est ad omnem panem frumentaceum, et quilibet panis ex frumento confectus dicitur simpliciter panis, sive triticeus sit, sive hordeaceus, etc. Unde utroque legimus Christum esse usum, et præsertim de hordeaceo constat Joan. 6, et aliis locis: ergo. Et confirmatur, nam in Concil. Carthag. III, c. 24, et habetur c. In sacramento, de Consecr., dist. 2, dicitur, in sacramentis nihil aliud esse offerendum quam de uvis, et de frumentis; quodlibet ergo frumentum sufficit. Secundo est vehemens conjectura seu congruentia, quia materia sacramenti debet esse certa; si autem dicamus genus frumenti sufficere, erit certissima; si vero requiramus aliquam speciem, v. gr., tritici, erit nimis incerta, tum quia vix potest distinguere triti-

cum a non tritico, ut a milio, spelta et similibus; tum etiam quia in granis tritici videtur esse diversitas specifica, et non erit major ratio admittendi unam speciem, quam aliam; si autem omnes admittantur, eadem ratione poterunt omnes species frumenti admitti. Et confirmatur, quia materia hujus sacramenti debuit esse communissima, ut in omnibus regionibus facile posset reperiri; hujusmodi autem est frumentum in genere; at vero triticum multis in regionibus non reperitur, ut de Æthiopia refert Plin., lib. 18, cap. 10, et de novo orbe idem refertur. Tertiam rationem adhibet Cajet., quia omnis panis, ex quocumque grano confectus sit, est ejusdem speciei, sicut sanguis idem ex diversis cibus generatur; materia autem hujus sacramenti non est granum, sed panis; ergo erit sufficiens ex quocumque frumento fiat.

4. *Panis triticeus solum est materia Eucharistiae.* — Dicendum vero est, solum panem triticeum esse sufficientem materiam, ita ut in alio non perficiatur consecratio. Hæc conclusio est jam hoc tempore tam certa, ut sine temeritate, et erroris periculo negari non possit. Est communis Theologorum sententia, D. Thom. hic, et in 4 cont. Gent., cap. 69, et in 4, dist. 11, quæst. 2, art. 2; ibi Bonav., 2, part., quæst. 4; Palud., quæst. 4, art. 4; Scoti, quæst. 6; Richard., art. 3, quæst. 2; Durand., quæst. 4; Innoc., lib. 4 de Mysterio missæ, cap. 3; tenentque reliqui omnes recentiores Theologi, et omnes Summistæ. Et in Catechismo Pii V dicitur, esse hanc Apostolicam traditionem. Et probatur urgentissime ex Concilio Florentino in decreto Eugenii, ubi dicitur materiam hujus sacramenti esse panem triticeum, et vinum de vite. Respondet Cajetanus, illis verbis solum significari panem triticeum esse de necessitate præcepti, non vero de necessitate sacramenti; et Alanus, lib. de Euchar., cap. 11, incertum esse dicit, neque audere se temere asserere, quo horum modorum intelligendum sit. Ego vero censeo non solum sine temeritate, sed etiam sine dubitatione intelligendum esse ibi esse sermonem de necessitate sacramenti, quia alias nihil certum relinquatur in materiis sacramentorum. Eadem enim ratione posset aliquis dicere, aquam naturalem esse de necessitate præcepti, non tamen sacramenti, atque nihil ibi esse certum; si ergo alia materiæ intelliguntur esse de necessitate sacramenti, etiam hæc, eo vel maxime, quod alia particula, scilicet, Vinum de vite explicat,

materiam necessariam necessitate sacramenti; ergo eodem modo est altera particula intelligenda. Denique ubi Concilium illud voluit docere, aliquid esse necessarium ex præcepto, non vero simpliciter, non dixit esse materiam, sed adhibendum esse; ut cum docere voluit misionem aquæ esse necessariam, quia hæc non est de necessitate sacramenti, sed præcepti, mutavit dicendi modum, inquit, materiam esse vinum de vite, cui aqua miscenda est. Secundo probatur, hæc esse institutionem Christi, quæ licet non sit expressis verbis in Evangelio declarata, colligi tamen potest ex facto Christi, adjuncta Ecclesiæ declaratione, per traditionem, atque observationem perpetuam; nam Christus Dominus in pane triticeo confecit, ut omnes admittunt, quia non est verisimile panem azymum, qui ad Paschale festum, et ad esum agni conficiebatur, ex alia materia, quam triticea fuisse. Dicit autem Concilium Carthaginense, dicto cap. In sacramento, nihil aliud offerendum esse, quam quod Christus Dominus tradidit; sicut enim tangendo in baptismo suo naturalem aquam, illam ad sacramentum baptismi destinavit, ita accipiendo panem triticeum in manus suas, et illum consecrando, ipsum in materiam hujus sacramenti instituit. Sicut enim dicendo talia verba, instituit illa, ut essent forma, ex vi consequentium verborum, *Hoc facite in meam commemorationem*. Tertio licet sub nomine frumenti, seu frumentorum, varia grana interdum comprehendantur, ut supra dictum est, frequenter tamen nomen frumenti, absolute dictum, solum triticum significat, ut colligitur Gen. 44, clarius Deut. 9: *Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum, aquarum, et fontium, terram frumenti, hordei, ac vinearum*; et subdit infra: *Ubi absque ulla penuria comedes panem tuum*. Similia loca sunt Hierem. 4, et Joel. 1. Unde, cum in veteri Testamento nomine frumenti adumbratur hoc sacramentum, ut patet Psal. 80: *Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos*, et Psal. 147: *Qui posuit fines tuos pacem et adipe frumenti satiat te*, nomine frumenti triticum intelligitur. Vel certe si frumentum generatim sumatur, adeps frumenti dicitur ipsum triticum, quod in idem redit; et sic etiam intelligit Hieron. locum Hierem. 31: *Confluens ad bona Domini super frumento, vino, et oleo. Super frumento, inquit, de quo conficitur panis Domini*; et Zach. 9: *Quid enim bonum ejus, aut quid pulchrum*

*ejus, nisi frumentum electorum?* ubi Hieron.: *Frumentum, inquit, electorum nos intelligimus Dominum Salvatorem, qui in evangelio dicit: Nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, etc.* Sic enim ipse legit; et subdit: *De hoc tritico efficitur ille panis, qui cælo descendit*. Unde tacite interpretatur illa Christi verba Joan. 12: *Nisi granum frumenti, de grano tritici intelligenda*. Et ita ex eodem argumentatur hic D. Thom., quia Christus grano tritici seipsum comparavit. Denique idem Hieron. circa illa verba Isa. 62: *Si dero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis: Triticum, inquit, ex quo panis cælestis efficitur, illud est, de quo Dominus loquitur: Caro mea vere est cibus*. De hoc etiam sacramento multi intelligunt illud Osee 14: *Vivent tritico, et germinabunt, quasi vinea memoriale ejus, quasi vinum Libani*. De quo testimonio videri potest Turrianus, lib. 2 de Euchar., cap. 33. Solet etiam induci illud Psal. 71: *Erit firmamentum in terra*, nam Hebræa habent, *erit pugillum frumenti, seu placenta frumenti*. Unde antiqui Hebræi illi intellexerunt, præd. sacrificium panis, ut ibi notat Jansen. et Galat., lib. 10 de Arcanis, cap. 4. Quarta conjectura sit, quia solus panis triticeus est panis simpliciter hominibus accommodatus, nam ex hordeo et similibus non tam humanus panis fit, quam belluinus, quamvis nonnunquam ob necessitatem cogantur homines illum comedere. Et ita in Scriptura, quando panis non est triticeus, additur aliquid, ut hordeaceus, Joan. 6 et Num. 5; cum vero dicitur panis simpliciter, intelligitur triticeus, præsertim si de sacro usu sermo sit. Est optimum exemplum ad rem presentem pertinens Gen. 14, ubi Melchisedech obtulit panem et vinum; omnes enim intelligunt, panem illum triticeum fuisse, unde Damasc., lib. 4, cap. 14, dicit hoc sacramentum institutum fuisse in eo pane, quo communiter et frequenter homines vescuntur; hic enim est panis simpliciter humanus. Unde ad hoc confirmandum valent omnia, quibus supra probavimus, panem esse materiam hujus sacramenti, et testimonia Sanctorum ibi citata, et figuræ adductæ, qualis est illa, quia panes propositionis, qui fuerunt figura hujus sacramenti, ex simila, id est, ex farina tritici conficiebantur, Levit. 24, Exod. 29: ergo. Ultimo congruentiæ D. Thom. sunt optimæ, quia solus panis triticeus est satis accommodatus ad effectum hujus sacramenti significandum; adde, solum illum decuisse excellentiam, et dignitatem hujus sacramenti.

5. *Primum corollarium.* — Ex hoc ergo principio sequitur primo, panem confectum ex grano, de quo certum est non esse triticum, certum etiam esse, non esse sufficientem materiam hujus sacramenti. Exempla sunt, hordeum, milium, quod a tritico distinguitur Ezech. 4, panicum, oriza, maizium, et si quæ sunt alia grana similia, quæ certissime non sunt triticum. Primo ex communi modo loquendi sapientum in hac materia. Secundo ex communi usu et appellatione hominum; nunquam enim hæc grana vocant triticum, neque illis utuntur ad conficiendum panem hominum et usualem, nisi ob defectum tritici. Tertio ex colore, figura, et aliis proprietatibus et effectibus; et aliquod indicium est, quod ex his granis nunquam generatur triticum, neque illa ex tritico.

6. *Secundum corollarium.* — Secundo sequitur, omnem panem confectum ex grano, quod revera constat esse triticum, quamvis aliter nominetur, esse certam materiam hujus sacramenti. Exempla sunt primum, siligo; ita D. Thom. hic, quem Cajet., Soto, Sylvest., et alii sequuntur; et Plinius, lib. 28, cap. 8, vocat siliginem delicias tritici, unde censetur esse, quod nos, *candéal*, vocamus, et multi existimant esse, quod Græce dicitur *ὄλρα*, quanquam hæc vox interdum far, interdum avenam significare dicatur. Unde a Columella vitium tritici; et eadem ambiguitas fortasse est in voce siligo, quod in his nominibus frumentorum observandum est; habent enim sæpe multiplicem significationem, ex qua oritur inter Theologos in hac materia diversa opinio, cum in re fortasse non sit diversitas. Et ita existimo accidisse in proposito exemplo. Nam Alensis, quæst. 3, membro 4, et Paludanus, supra, num. 33, negant, posse confici ex siligine; existimo tamen illa voce significasse avenam, quæ interdum ex tritico per corruptionem generatur, et interdum siligo a Latinis nominatur. Circa mentem autem D. Thomæ superest hic nonnulla difficultas, propter rationem ejus; dicit enim siliginem generari interdum ex tritico propter malitiam terræ, quod non videtur convenire siligini, prout a nobis explicata est, quia diximus esse perfectissimum triticum; sed de hoc dicam inferius. Secundum exemplum est, alica, seu alicastrum, quod Columel., lib. 2 de Re rust., cap. 7, dicit esse semen trimestre, pondere et bonitate præcipuum, unde Hispanice dicitur *trimesino*, de quo nulla potest esse controversia; cavenda tamen est æquivocatio

vocis, nam alicia aliam etiam significationem habere potest. Unde Galenus, lib. 4 de Aliment. facult., dicit esse triticum, vel farris genus, tritico simile, de quo farre statim dicemus; interdum vero hæc vox non granum, sed confectionem quamdam significat, ut constat ex Calepino, et Plin., lib. 48, cap. 44.

7. *Tertium corollarium.* — Tertio sequitur, quodcumque granum aliquod tale est ut sit dubium an sit triticum, nec ne, panem ex illo confectum esse materiam dubiam, quod satis est, ut practice et moraliter nunquam in illo conficiendum sit, quod sine ulla exceptione docuit Alanus, lib. 4 de Eucharist., cap. 44, neque ego audeo illam adhibere, quia est res gravissima, et huic sacramento summa reverentia debetur; unde cum alias non sit sacramentum necessitatis simpliciter, nulla videtur posse occurrere causa moraliter sufficiens ad conficiendum illud, nisi in materia certa. Exempla hujus rei sunt tria potissima. Primum est spelta, quam Alens., Palud. et Sotus indicant esse materiam sufficientem; quod tamen negat D. Thom. hic, et in 4, dist. 44, quæst. 3, art. 2, quæstionc. 4, ad 3; et ibi Richard.; et Carthus., Sylvest., Angel., et alii Summistæ. Ego, ut verum fatear, non satis definite concepì, quid rei subsit huic voci, ut possim judicare, sit triticum, nec ne, quia vox illa, quantum assequi possum, neque est latina, neque Hispana. Est autem quoddam genus frumenti, quod latine, *zea*, dicitur, græce *ζιζ*, quam vocem exponens Calepinus dicit Hispane vocari, *spelta*; ego tamen non agnovi hanc vocem in nostra lingua. *Zeam* autem dicit esse speciem hordei. D. autem Hieron., Ezech. 4, circa illa verba, *sume tibi frumentum et hordeum et milium et vitium*, notat loco vitii, *Hisp. arveias*, Septuaginta vertisse, *olyram*, quod ipse interpretatur avenam, vel secale. Et addit Symmachum, et Aquilam vertisse *Zeam*, quod ipse exponit, id est, far, addens, gentili Italiae Pannoniaeque sermone vocari, *speltam*; itaque insinuat *speltam* et *zeam* idem esse, et non esse tritici genus. Plinius enim, lib. 48, c. 8, *zeam* a tritico distinguit. Galenus item, lib. 4, de Aliment. facultatibus, varie loquitur. Dioscorides etiam, lib. 2, cap. 80, alias 44, distinguit duplicem *zeam*, aliam simplicem, aliam, quæ geminis putaminibus grana bina juncta tenet, et Hispane vocatur *ladilla*, et hæc sine dubio non est triticum, sed genus hordei, et jumentorum pabulum. Unde si hæc sit *spelta*, non dubito, quin non sit materia;

de illa vero prima non possum ferre iudicium, quia res est mihi ignota.

8. Secundum exemplum est far, quod Paludanus et Soto putant sufficere, quia credunt esse speciem tritici optimam, quæ Hispane dicitur *scandia*, seu *scanda* apud Astures, et aliqui credunt esse, quod vulgo dicitur *candea*, et idem fortasse est, quod Alensis vocavit *candit*, nam hæc vox non est Latina, neque scio, quid aliud significet. At vero D. Thomas, quem Marsil., Sylvest., Angel. et alii sequuntur, negant far esse materiam, quia non existimant esse triticum. Unde certum est, hæc voce non significasse idem, quod præcedentes auctores, nam de re illa dubitari non potest, quin sit verum triticum; fortasse ergo significarunt aliquam aliam speciem grani nobis ignotam; nam et apud nos in Bœtica dicitur esse granum, quod dicitur *scandia*, et non reputatur triticum, sed pabulum jumentorum; in aliis vero locis dicitur esse aliud genus grani distinctum ab hordeo, et a tritico, nullum habens putamen, seu tunicam, et vulgo appellatur *farro*, quamvis hæc vox interdum apud nos significet etiam farinam hordeaceam; itaque varietas nominum efficit ambiguitatem in rebus, et cum ipsæ alias non satis notæ sint, tota res fit incerta; si tamen loquamur de farre, quod a Latinis dicitur semen adorem, far illud sine dubio ponitur inter species tritici, ut patet ex Plinio, lib. 48, cap. 8, ubi dicit esse granum durissimum, et firmissimum, indicans esse perfectum valde, et magni ponderis; et Columella, lib. 2, cap. 6, dicit alicastrum esse speciem farris.

9. Tertium exemplum est typha, Hispane *centeno*, de quo aliqui putant esse sufficientem materiam. Ita Victoria, num. 53, qui dicit de hoc fuisse locutum D. Thomam nomine siliginis, nam dicit ex grano tritici seminato in malis terris nasci siliginem, quod est verum de typha, non de perfecto tritico; et ita etiam intellexit D. Thomam Ledesma, licet hanc opinionem deserat. Ratio vero hujus sententiæ est, quia existimat typham essentialiter esse triticum, imperfectum tamen accidentaliter. Contrariam sententiam tenet Ledesma, et nonnulli Summistæ, qui existimant typham revera non esse triticum, quia licet interdum vitio terræ ex illo generetur, illud tamen est per modum corruptionis, sicut interdum etiam ex tritico oritur avena, aut lolium; et posset exponi D. Thomas, ne huic sententiæ sit contrarius, ut loquatur de sili-

gine in significatione supra posita, nam etiam a Latinis dicitur vitium tritici, quia licet candore et sapore præstet, tamen virtute et potestate ad nutriendum a tritici perfectione degenerat, quod potest interdum ex imperfectione terræ, vel frequenti satione provenire. Loquendo ergo proprie de typha, seu *centeno*, mihi est materia dubia, quia neque ex figura, colore, aut proprietate mihi satis constat, qualis sit differentia inter illam et triticum; neque ex eo, quod generetur ex tritico, potest alterutrum inferri, quia illa generatio esse potest, cum substantiali et cum accidentaliter diversitate; qualis autem illa sit, aliis signis investigandum est. Unde licet negative recte inferatur, illud granum, quod nunquam generatur ex tritico, non esse triticum, tamen affirmative non sequitur, illud, quod generatur ex tritico, esse triticum. Relinquitur ergo dubia hæc materia, et ideo in praxi illa non est utendum, ut dixi.

10. *Quantum corollarium.* — Quarto sequitur, quid dicendum sit de pane confecto ex diversis granis, farinis, aut massis; distinctione enim opus est; nam si omnia ista sint triticea, licet sint diversæ speciei, non refert, cum tota illa materia et singulæ illius partes sufficiant; si autem mixtio fiat ex aliis frumentis, et major pars cum notabili excessu sit triticea, conseri potest sufficiens materia, quia in usu omnium hominum ille panis judicatur triticeus, alias panis confectus ex tritico male purgato non esset sufficiens, quod est plane falsum. Ratio vero est, quia illa major pars, adjuncta contusione, seu coctione, censetur alias particulas trahere ad suam speciem, et ita confici mixtum ejusdem rationis cum pane triticeo. Si vero pars triticea sit minor, vel etiam æqualis, non erit tota illa materia sufficiens, ut sentit hic D. Thomas, ad 3; et Bonav., dist. 44, art. 4, quæst. 4, ad 3; et ratio est, quia vel fit perfecta mistio, et sic major pars trahit minorem in suam speciem; vel si sit æqualis, utraque corrumpetur, et fiet unum tertium distinctum; vel solum fit mistio imperfecta, per juxtapositionem, et tunc pars illa, quæ fuerit triticea, erit materia, et non alia; tamen propter confusionem, tota illa materia non erit in usu consequenda; legatur Alens., quæst. 32, memb. 4; Major, dist. 44, quæst. 3.

11. *Solutio primi argumenti contrariæ sententiæ.* — Ad argumenta contrariæ sententiæ solutio patet ex dictis. Ad primum enim jam

ostensum est, nomine frumenti et panis simpliciter dicti, intelligi panem triticeum, et ita esse explicatum in Conciliis, et communi consensu, et traditione Ecclesiæ. Ad secundum respondetur, panem triticeum esse satis certam, satisque communem materiam, cujus signum est, quia hactenus practice et moraliter nunquam fere dubitatum est in particulari, et in individuo de tali materia, neque alicui deficit, quia quamvis fortasse in aliqua regione non generetur triticum, facile asportari potest. Nec refert ad materiam sacramenti, quod grana tritici specie differant, nec ne, quia sacramenti veritas non pendet ex specifica unitate materiæ; tantum ergo de illius necessitate est, quod sit panis triticeus. Verisimile tamen est, quod D. Thomas hic, ad 2, et Bonaventura et Durandus, ac fere alii Theologi sentiunt, omne triticum esse ejusdem speciei substantialis, quia inter ea non apparet tanta diversitas accidentium aut effectuum, quæ substantialem diversitatem indicet. Ad tertium Cajetani respondetur, falsum esse et incredibile quod assumit; tantam enim diversitatem experimur, inter farinam hordei, v. gr., et tritici, et inter panem hordeaceum et triticeum, quanta est inter ipsa grana, ut constat ex qualitatibus et effectibus, quos experimur; nec est ulla probabilis ratio ad credendum oppositum, nam cum proxima materia sit specie diversa, sola contusio non satis est, ut farinæ sint ejusdem speciei, cum illa non sit causa per se, sed per accidens, alias quidquid per talem contusionem generaretur, sive ex frumentis, sive ex petra, aut ex lateribus, aut ex alia quacumque simili fieret, esset ejusdem speciei. Item sequitur, panem ex granis, vel ex leguminibus confectum, esse ejusdem speciei, quia sanguis inde genitus etiam esset ejusdem rationis. Unde non est simile exemplum sanguinis, quo Cajet. utitur, quia sanguis habet principium per se et proximum, ac ejusdem rationis in vivente, a quo generatur, et ab eodem materia cibi, quæcumque illa sit, disponitur ac preparatur ad talem formam, mediis aliis transmutationibus; at vero farina resultat ex granis contusis, per modum cujusdam mistionis, et ibi contusio solum se habet, ut conditio sine qua non, et ideo non satis est, ut quod resultat, sit ejusdem speciei, sed potius est diversum juxta qualitatem miscibilium; et idem proportionaliter est de pane, qui media concoctione ex farina et aqua conficitur.